



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatvs De Homine Spirituali**

**Walenburch, Adrian van  
Walenburch, Peter van**

**Antverpiae, 1666**

Epistola III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10007**

lam hanc emendes, rogo: quod si feceris, & tertiam, circa eandem materiam, dabo brevi. Vale: mei in tua pietate memor. 2. Jan. 1665

### EPISTOLA III.

1. **P**Riori Epistola debitorem me constitui scribendæ tertiæ: videbatur enim de Advocatis nostris apud Deum esse ulteriùs agendum. Quod licet nunc aggrediar; sentio inexhausta esse Dei ergà nos beneficia: & illud de Advocatis esse tam copiosum, ut præter preces tuas utriusque Advocati, *Christi Iesu*, & Spiritus sancti indigeam patrocínio & adjutorio, ut vel modicum de eo perscribam.

2. Pauperes, si lite premantur, vel jure ipsis experiundum sit, supplicant Principi, ut Advocatus ipsis assignetur qui propter Deum gratis patrocinetur. Non tamen quis  
acce-

accederet supplicare Principi, post notoriam offensam offenso, ut Advocatum concedat, qui crimen doceat esse virtutem, & delictum innocentiam, & transgressionem justitiam.

3. In hoc statu posteriore erant omnes homines post lapsum, qui & volutabantur in peccatis, voluntariâ inclinatione peccata peccatis cumulantes. Num peterent Advocatum à Deo, post prævaricationem? Sed hoc ipsum esset nova prævaricatio, injustitiam pro justitia velle defensam. Peterent misericordiam, à Patre misericordiarum non reconciliato? Obstabat justitia, cui satisfactum oportebat, & cui humana natura, æterno addicta supplicio, satisfacere non poterat.

3. Deus igitur misericors, cujus miserationes suprâ omnia opera ejus, usus est justitiâ, & punitione, quæ non tantum pœnam, debitum  
pœnæ,

pœnæ, & dignitatem subeundæ pœnæ; sed ipsam culpam, atque offensam amoliretur.

4. Explicat illud Apostolus:

(a) *Omnia ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum: & dedit nobis ministerium reconciliationis, quoniam quidem Deus orat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & proposuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergò legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.*

5. Deus Christum Iesum, qui peccatum non noverat, qui erat innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, peccatum fecit, imponens ei omnes iniquitates nostras, ut eas, tanquam suas, ferret & expiaret: non ampliùs reputans delicta  
nostra

(a) 2. Cor. 8. 18.

nostra, quò totum mundum sibi in Christo reconciliaret, Pro totius mundi delictis satisfecit IESUS, ne amplius reputaretur inimicus Deo. Totus mundus, per *Christum Iesum*, reconciliatus est Deo. Deus sibi in Christo totum mundum reconciliavit. Undè & necesse est, ut fructus istius reconciliationis ad totum mundum perveniat.

6. Quis ille fructus? ut non reputet Deus hominibus delicta ipsorum: ut non tractet illos, veluti inimicos; sed velut per Christum reconciliatos. Ità imputat. Deus satisfactiones Christi omnibus hominibus, tanquam si ipsimet pro suis delictis satisfecissent: neque enim non reputat delicta ipsorum, nisi quia reconciliati sunt; neque reconciliati sunt, nisi quia Deus in Christo eos sibi reconciliavit, mediante satisfactione Christi, quam pro totius mundi delictis sic accep-  
tavit,

tavit, quasi esset ab ipso mundo præstita, pro quo erat à Christo præstita.

7. Protestantes nostri temporis, posuerunt totam rationem justificationis in non-imputatione peccatorum propter Christum: sed graviter errant. Nam *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* Num totus mundus, per istam reconciliationem, justificatus est? Non reputantur toti mundo delicta sua; sed per hoc non justificatur totus mundus. Reconciliatur quidem Deo totus mundus per Christum, ita ut reputetur, quasi non peccasset: quò fiat capax accipiendæ gratiæ divinæ, & justificationis. Sed per hoc non justificatur.

8. Ostendo illud evidenter ex textu allegato. Postquam Apostolus dixisset, Deum in Christo reconciliasse sibi mundum, non reputans illis delicta ipsorum; mox addit:

addit:

addit : & posuit in nobis verbum reconciliationis. In quem finem posuit in Apostolo verbum reconciliationis ? Subjungit ; Pro Christo legatione fungimur , tanquam Deo exhortante per nos. Deus exhortatur omnes homines per Apostolum , tanquam per legatum suum , pro Christo legatione fungentem. Quid habet ista exhortatio ? Obsecramus pro Christo , reconciliamini Deo. Ut quid obsecrat Apostolus pro Christo , ut reconciliemur Deo ; siquidem Deus in Christo mundum reconciliavit sibi , non reputans illis delicta ipsorum ? An etiam reconciliati indigent novâ reconciliatione ?

9. Sed duplex est reconciliatio. Altera , quâ Deus reconciliavit sibi mundum , non reputans illis delicta ipsorum : per quam reconciliationem non ampliùs habentur inimici , sed capaces gratiarum , ex meritis Christi descendentiũ. Altera , quâ  
vi prio-

vi prioris reconciliationis homines reconciliantur Deo per justificationem. Prior sine posteriore nec justificat, nec salvat. Ideò Apostolus tantâ sedulitate urget posteriorem reconciliationem, supponens priorem. Ideò dicit, se pro Christo legatione fungi, hoc est, nomine Christi hominibus intimare, priorem reconciliationem esse factam: hoc est, nomine Christi annunciare, IESUM esse Advocatum nostrum, cuius patrocinium imploremus. Ideò dicit, tanti faciendam esse istam intimationem & annunciationem, tanquam si ab ipso Deo, per præstitum beneficium prioris reconciliationis, offerente gratiam, pro obtinenda gratia posterioris reconciliationis, proveniret. Ideò obsecrat pro Christo, ne in vacuum gratiam prioris reconciliationis accipiat mundus; ne careat effectu posterioris reconciliationis,

(reconci-



(*reconciliamini Deo*) sine qua prior non prodest ad justificationem & salutem.

10. Antè priorem reconciliationem mundus non habet Advocatum apud Patrem; quia reputantur hominibus delicta ipsorum. Undè fieri non potest, ut ex justitia postuletur remissio, postuletur gratia, quâ ad justificationem & salutem perveniamus. Deus ex misericordiâ solâ reconciliavit sibi mundum per Christum: imposuit Christo totius mundi peccata, totumque mundum peccatorem; ut in Christo patiente & satisfaciente, mundum sibi misericorditer reconciliaret.

11. Factâ hâc reconciliatione, mundus recurrit ad suum Advocatum, monitus per Apostolos & Pastores Ecclesiæ, in quibus Deus posuit verbum reconciliationis, per quos nos exhortatur, qui & ipsi nos obsecrant, ut interpellemus Advocatum

tum, pro obtinenda remissione peccatorum, pro gratia justificationis. Post cognitam reconciliationem, per Christum, & in Christo satisfaciente obtentam, monentibus, exhortantibus, & obsecrantibus Apostolis, atque Ecclesiæ Pastoribus, meritò peterent homines Advocatum sibi à Deo Patre deputari, qui gratias postularet, ex meritò Christi derivatas, quibus ad justificationis gratiam pervenirent; nisi misericors Mediator sese obtulisset Advocatum, quo patrocinate, sufficientes ad justificationem gratiæ non negantur.

12. Hæc, quantum existimo, est constitutio reconciliationis mundi cum Deo per Christum, & in Christo; & reconciliationis credentium, monentibus, & exhortantibus Ecclesiæ ministris, patrocinate Christo.

13. Sequitur, ut videamus, qualis

lis

lis sit posterior illa reconciliatio, quam Christo patrocinate obtineamus. Teste Apostolo, in eo consistit reconciliatio ista: *Ut efficiamur iustitia Dei in ipso Christo.* Hoc autem fieri non posse, nisi per unionem cum Christo, & participationem iustitiæ ejus, nemo negaverit. Quomodo verò sumus participes Christi, *ut nos efficiamur iustitia Dei in ipso;* nisi per hoc, per quod sumus Christi? Atqui per Spiritum Christi sumus Christi, teste rursùm Apostolo: (a) *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Ergò nos efficiamur iustitia Dei in Christo, quando accipimus Spiritum Christi, Spiritu Dei nostri habitante in nobis.

14. Et hoc est, quod dicit Apostolus: (b) *Si qua ergò nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova.* Hæc est iustitia Dei in Christo, si simus ejus: sumus ejus, si

H

Spi-

(a) Rom. 8. 9. (b) 2. Cor. 5. 17.

Spiritum Christi habeamus; si per Spiritum Christi transformamur in novam creaturam.

15. Errant gravissimè Protestantes, quando volunt hominem justificari per solam remissionem peccatorum, & imputationem extrinsecam meritorum Christi. Neque enim ullus justificatur, qui non est Christi; nec quisquam est Christi, nisi per Spiritum Christi, qui non facit novam creaturam.

16. Hæc ex occasione latius deduxi, ut judices, an rectè determinaverim tempus patrocinantis Advocati nostri *Iesu Christi*: neque enim parvi momenti videbatur, id ipsum pro viribus declarare. Video tamen, me necdum plenè satisfacisse questioni tuæ, de Advocato; & superesse materiam pro alia Epistola, quam proximè transmittam, siquidem Deus voluerit. Ora Deum, ut gratiam suppeditet; & Advocatum nostrum

nostrum, ut suo patrociniò scribenti opituletur. 14. Jan. 1665.

EPISTOLA IV.

1. **A** Summo nunc quartam Epistolam scribendam de Advocatis nostris apud Deum Patrem; ubi materia se offert solatio plena, universis ad hæreditatem cœlestem anhelantibus. Neque enim expectavit Pater, ut mundus, per Passionem Christi reconciliatus, nesciens quid roget, sicut oportet, sibi Advocatum peteret; sed eidem sponte suâ duos dedit Advocatos maximos, & potentissimos, sibi essentia æquales, *Iesum Christum*, & Spiritum sanctum.

2. Prævidit idipsum in spiritu Isaias Propheta, quando scripsit:  
(a) *Parvulus natus est nobis, Filius datus est nobis.* Ideò natus parvulus ut esset

H 2

posse-

(a) *Isai. 9.6.*